



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac  
Vita Existentes, Firmata**

**Stengel, Georg**

**[S.l.], 1645**

§. 9. Quantum esset sæpe emolumentum; si, qui possunt, Principibus  
auderent veritatem ingerere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)



conuentus inhiuit; disputationibus, de Deo & natura eius, finem omninò impo-  
 suit, & constitutione publicè proposita, pe-  
 riculum, qui ei non parèrent, denunciauit,  
 pœnâsque, contra hoc edictum acturis, se-  
 uerissimas est comminatus. Ita factum, vt,  
 Arianis & Eunomianis pulsis, τῆ ἀποστολῆς  
*consubstantialis* fidei professores Ecclesiâs  
 moderarentur. Ita astutiam simplicitas  
 supplantauit.

## §. IX.

*Quantum esset saepe emolumentum; si, qui  
 possunt, Principibus auderent verita-  
 tem ingerere?*

Liceat saltem mihi, ex hac historia, ali-  
 quid discere, si alij nolunt. Nempe illud  
 disco, vt non diffidam simplicitati meæ, sed  
 quæ ad diuinum honorem; quæ ad Reli-  
 gionem orthodoxam, & conseruandam, &  
 propagandam; quæ ad iustitiam pacis &  
 belli obtinendam faciunt, & quæ mihi à  
 bono Genio, immò à bono Deo suggerun-  
 tur, ea, cum locus, aut tempus iubet, liberè  
 proferam. Si apud Principum aures, si in  
 curia Regum, si in maximis aulis mihi locus  
 non est; saltem illis identidem occinam, &  
 circa illorum aures circumsonabo, qui pro-  
 ximi



ximi sunt Principibus, qui Regum aures tenent apertas, qui cuiuscunque Dynastæ aut curiam, aut animam habent, occupantque. Non sum exercitatus in schola Machiaveli; non didici gryphos; non sectatus sum artes & ambages Politicas; at meliorem magistrum Spiritum S. humilibus promissum inuocabo, quia *inspiratio omnipotentis dat intelligentiam. Beatus homo, quem tu erudieris, Domine, & de lege tua docueris eum.* Sapiens enim euadet, quàm Athenienses, & omnes Mundi sapientes. Timebat Moyses, cum eum Deus mitteret ad Pharaonem, & dicebat: *Obsecro, Domine, non sum eloquens ab heri & nudius tertius.* Et si enim eruditus esset, omni sapientia Aegyptiorum, & ut Origenes ait, eloquentia incomparabili, tamen *ab heri, & nudius tertius*, postquam Deum loquentem audiuit, intellexit ruditatem suam; sicut rusticus, licet, cum jumentis suis comparatus, sapiens videatur; collatus tamen Doctoribus imperitiam suam agnoscit; ita Moyses vidit, omnem humanam sapientiam, coram Deo, stultitiam esse. Sed Deus illi dixit: *Quis fecit os hominis, aut quis fabricatus est mutum?* Age igitur, quod agis, tu linguam dabis, ego suggeram verba.

Iob. 32. 8.  
Ps. 93. 12.

Exod. 4.  
10.



Quo pacto etiam Christus Apostolos suos  
**Matr. 10.** animavit dicens: *Nolite cogitare, quo modo,*  
**19.** *aut, quid loquamini: dabitur enim vobis in illa*  
*hora, quid loquamini. Non enim vos estis, qui*  
*loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loqui-*  
*tur in vobis.* Hoc idem & alij, quibus cum  
 magnatibus est negotium, aut occasio col-  
 loquendi, debent secum cogitare, insisteré.  
**Act. 2, 4.** que via Apostolorum, qui *cœperunt loqui va-*  
*rijs linguis, prout Spiritus S.* (non prout Spi-  
 ritus Mundi) *dabat eloqui illis.* O quanta fa-  
 cerent, pro pauperibus, Principes, pro popu-  
 lis Reges, pro Ecclesia Imperatores, si Am-  
 philochios multos haberent; si essent, qui  
 eorum vultus, rugas, iras, fulminantes ocu-  
 los possent pati; si Episcopi ipsi, si Ecclesia-  
 rum præfides, si Concionatores, si conscien-  
**Isa. 56. 10.** tiarum moderatores, non essent *canes muti,*  
*non valentes latrare;* qui magis Principis,  
 quàm Numinis gratiam captant; idque illi-  
 co rectum esse pronunciant, quod Regi, nõ  
 quod juri & æquitati vident cõvenire; apud  
 quos, quidquid Domino illorum displicet,  
 injustum est, rectum, quidquid placet. Sic  
 nimirum sapiunt Mundi sapientes. Sic ca-  
 nunt, similes ranis, quæ etsi multùm canant,  
 parum laudantur. Nec enim ranæ, nisi ranis  
 placent,



placent. At Paulus sic loquitur: *Gloria nostra* 2. Cor. 13  
*hac est, testimonium conscientiae nostrae, quod in* 12.  
*simplicitate cordis & sinceritate Dei, & non in*  
*sapientia carnali, sed in gratia Dei, conuersati*  
*sumus in hoc mundo. Quid quod & bonae*  
*mentis Principibus, magis probatur sincera*  
*simplicitas, quàm astutia vulpina?*

§. X.

*Spiridonis Episcopi simplicitate mysterium*  
*SS. Trinitatis defensum.*

Sæpe deridetur *justi simplicitas*, interim, Iob. 14. 44  
*re ipsa, simplicitas justorum dirigit eos.* Nam, Prou. 11. 3.  
 talibus utitur diuina sapientia, cum & mi-  
 nus superbiant, & magis veritati, quàm sub-  
 tilitati obediant, conscij propriae imbecil-  
 litatis. Sed & Dei virtus, illis aliquid, quod  
 vires sapientum excessit, efficientibus, ma-  
 gis elucescit. Minus enim simplex addit de  
 suo; & plus gloriae Numini relinquit inex-  
 ploratus homo, quàm de quo fuit magna  
 expectatio. Qua ratione Anno 325. Catho- Sozom.  
 lica Religio, per Spiridonem Episcopum, l. 1. c. 1.  
 Trimithuntium triumphauit. Cõfluxerant, Ruff. l. 13  
 eo anno, ad Nicænam Synodum, non so- Euseb.  
 lum Episcopi Catholici per litteras accerfi- l. 10. c. 38  
 ti; sed etiã ex Philosophis pleriq; , qui apud Niceph.  
 Gentiles pro sapientibus habebantur, dispu- l. 8. c. 15.  
 V 4 tatio-